

**SECUNDA DIES MAII  
DE S. ANTONIO SEV ANTONINO,  
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO IN  
HETRURIA, ORDINIS PRÆDICATORVM.  
ADDITIONES**

**Fr. Leonardi de Ser-Vbertis Ordinis  
Prædicatorum, intra annum decimum a  
Sancti obitu scriptæ. Ex MS. bibliothecæ  
Conv. S. Marci Florentiæ.**

**PROLOGUS.**

[1] Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. Psalmo IV, Dominus Deus servum suum Antonium, [Vita & miraculu illustris Antonius,] cognominatum Antoninum de Florentia, de Ordine Fratrum Prædicatorum, Archiepiscopum Florentinum mirificavit, id est, mirabilem reddidit & ostendit in conspectu omnis populi. Mirabilis utique Antonius cunctis effectus est, tum propter justitiæ opera & suæ sanctissimæ vitæ conversationem, tum propter miracula crebraque prodigia, in vita ejus coruscantia pariter & in morte. Sed longe majora sunt justitiæ opera quam ipsa miracula: unde & quilibet justus, propter bene actæ vitæ merita, mirabilis prædicatur; quamvis signorum ostensione non luceat. Qui enim viriliter resistit desideriis suis; qui spiritus desideriorum malorum, hostes ferre ferocissimos, qui eum persequuntur, expugnatur, qui mundi oblectamenta, carnis incentiva, intestinaque bella, atque callidi inimici insidias superat; qui post aurum, mundi gloriam, suasque concupiscentias non ambulat; facit hic profecto mirabiles res, etiamsi nulla alia de eo miracula videantur. Sed qui cum sanctitate vitæ etiam prodigiorum gratia fulget, hic

**certe mirabilis est, & hunc Deus gloria duplicata mirificat, in eoque Dei virtus magna apparet, qui juxta Psalmistæ vocem in Sanctis suis mirabilis prædicatur. Antonius ergo noster, quia utroque effulsit, magnus vocatur in regno cælorum. Scitote itaque, Fratres mei dilectissimi, quoniam non ipse seipsum, nec eum alius, sed solus Dominus Sanctum suum Antonium mirificavit, mirabilemque vitæ sanctitate & signorum gloria demonstravit.**

**[2] Quia vero, sicut in Psalmo scribitur, Dominum in Sanctis ejus laudare jubemur; quod tunc efficimus, [sic a Franc. Castilionensi descriptus fuit,] si eorum quos Dominus Sanctos fecit, gesta fortia divinaque prodigia prædicamus; non immerito Sanctorum vitas atque miracula tanto studio tantoque labore descripta comperimus. Quis enim dubitet totum ad laudem Domini pertinere, quidquid servis suis propter gloriam Dei, sive calamo, sine ore, sine quovis opere fuerit impensum. Sane S. Antonii Archiepiscopi Florentini vitam celeberrimam, nonnullaque miracula, Franciscus Castilionensis Presbyter, vir litteris Græcis atque Latinis eruditissimus, & S. Theologiæ Professor, luculento sermone conscripsit. Sed quia, ut ipse in ejusmodi opere attestatur, non omnes sancti viri virtutes, non omnia laudum ejus preconia complectens, [ut multa aliis relictæ sint,] multa aliis de eodem sanctissimo viro conscribenda reliquit: ego quoque Fr. Leonardus Ser-Uberti de Florentia, minimus indignusque Ordinis Prædicatorum, cupiens pro modulo meo offerre in templo Domini, si non aurum vel argentum, (quia non est mihi) si non coccum purpuramque aut byssum, saltem caprarum pilos aut pelles arietum rubricatas, vel si quid est aliud nostræ pauperrimæ facultatis Deo acceptum; quædam alia, quæ S. Antonius sive in vita sive post obitum gessit, prout a fide dignis accepi, rudi ac simplici, sed veraci stylo describere statui, ad laudem omnipotentis Dei & gloriam Sancti sui**

legentiumque solatium atque ædificationem: reservans tam hæc eadem quæ ipse describam, quam multa alia ac pene innumerabilia, quæ de sancto Viro dici possent, aliis majori facundia majorique gravitate & eloquentia describenda. Existimo enim neminem, quacumque sapientia vel elegantia præditum, satis sufficienter posse omnes Antonii virtutes & merita pro sua dignitate enarrare.

[3] Ego, inquit quidam Pater venerabilis, Fr. Santez Florentinus, [cum numquam satis laudari possit.] in eo viro multo magis admiror ac stupeo, vitæ integritatem, animi constantiam, patientiam, mansuetudinem, benignitatem, vultus immutabilitatem, puramque & immaculatum semper conversationem, ac morum ac virtutum omnium lucidissimum spectandumque exemplar, quam quæcumque alia miracula, quæ de illo possint referri. Fuit nempe dictus F. Santez sancto viro Antonio valde familiaris, ac pro sua bonitate multum ab eo dilectus, & propterea multa mirabilia in beato viro conspexit, pluraque ab eo didicit virtutum ac morum & sapientiæ praeclarissima ornamenta. Vox præterea omnium erat & est, quod post S. Zenobium, qui supra mille annos ante Antonium Florentinæ Urbis Episcopus exstitit, non surrexit Pastor qualis Antonius, sanctus & rectus, doctus & prudens, ac Deum timens & diligens toto corde.

[4] De virtutibus igitur & immensis laudibus tanti viri locuturus, qualiacumque oris & calami munera & obsequia, sicuti concesserit Dominus, offeram in templo suo. Pretiosiora dona offerant ditiores, [Hujus supplementi ordo & divisio.] & unusquisque secundum donatam sibi gratiam magnalia Dei prædicet in Sanctis suis, ceterum nulli mirum videatur, si rerum gestarum ordinem in narratione non teneam, ut videlicet prius ea quæ dum vixit operatus est, deinde quæ post obitum gessit, & ex his item quæ antea sunt patrata, secundum

**ordinem temporum rerumque dignitatem, referantur: nam ea quae dicturus sum, prout diebus singulis per verissima testimonia accipiam, narrare intendo. Singulis tamen capitulis hujus opusculi singulas rubricas titulosque apponam, ut facilius intuenti summa totius capituli statim occurrat; & ea ipsa omnia quandoque valeant, si forte placuerint, in suo & temporis & dignitatis ordine collocari. Pro labore autem meo, si forte aliqua ex parte gratus extiterit, nihil aliud nisi S. Antonii intercessionem & merita, legentium vero preces & orationes exposco: si vero sermo incultus forsitan fuerit onerosus, ego pro omni errato veniam humiliter postulo.**

## **Capitula**

**Vt more nostro prosequamur distinctionem Capitulum, veteris partitiones titulos hic habe.**

**I Qualiter B. Antonius, adhuc puerulus, instanter orando, petiit sibi donari gratiam sanctissimæ virginitatis.**

**II De Bonis moribus & sancta conversatione ipsius, & qualiter conscientiam simul & famæ ac boni nominis diligentissimus extitit observator.**

**III Qualiter B. Antonius virginitatem suam ab omni vel levissimæ suspicionis macula integram custodivit.**

**IV De muliere mirabiliter liberata a quadam magna spiritali tentatione meritis S. Antonii adhuc viventis; quamvis præfata mulier numquam illum fuerit allocuta, sed solum in spiritu se ejus sanctitati commendavit.**

**V De quodam cive Florentino, liberato a quadam magna tentatione, meritis S. Antonii jam defuncti.**

**VI De Fratere quodam Ordinis Prædicatarum, qui impugnabatur a spiritu fornicationis, per merita S. Antonii liberato.**

**VII De visione mirabili, ostendente gloriam B. Antonii, quæ apparuit cuidam devotè feminæ in hora transitus ejus.**

**VIII De muliere membris omnibus contracta, cujus facies tota intumuerat, liberata ad contactum tunicæ S. Antonii in oppido Fabriano.**

**IX De quodam cive Florentino, pro una sua filia maritanda magnifice exaudito.**

**X De quodam cive Florentino, liberato ad tumulum S. Antonii a tumore vesicæ & descensu intestinorum.**

**XI Qualiter D. Jacobus de Mannellis, in Canonicatu Cathedralis ecclesiæ Florentinæ, sibi in Romana Curia petito, multum vexatus; a S. Antonio, cui se vovit, est repente adjutus.**

**XII De famulo cujusdam Cardinalis, letaliter vulnerato, & sanato meritis S. Antonii.**

**XIII De muliere sterili per octodecim annos, quæ facto voto ad S. Antonium genuit filios & filias.**

**XIV De quodam Tabellione, liberato a febre, de qua fuerat pene a medicis desperatus.**

**XV De quodam Converso Ordinis Prædicatorum, liberato a dolore simul & obcæcatione oculi dextri.**

**XVI De Fr. Mariano de Firmo Ord. Præd. liberato a febre & ab infirmitate, de qua fuerat a medicis desperatus.**

**XVII De quodam Fratre Ord. Præ. quem B. Antonius a grandi dolore dentium liberavit.**

### **CAPUT I.**

#### **Virginitas illibata, sancta conversatio, aliæque virtutes S. Antonii.**

**[5] Beatus igitur Antonius, Florentina Urbe oriundus, [Pie educatus puer,] patrem habuit Notarium Nicolaum Pierozzi, matrem vero Thomasiam nomine, parentes utique honestis moribus & religiosa conversatione fulgentes: qui filium suum multa diligentia nutrierunt, eumque ab infantia docuerunt timere Deum, & cavere ab omni peccato. Ipse vero paternarum monitionum non surdus auditor, cœpit esse puer ingeniosus, utpote qui sortitus fuerat animam bonam. Hic in ipsa sua pueritia mirabili quadam gravitate & multa morum honestate resplendens, super omnia orationi ultra quam credi posset erat intentus. Jam enim illud euangelicum, quomodo oportet semper orare & non deficere, intenta cordis aure percipiens, non cessabat a Domino petere, ut dirigeret gressus suos. [Luc. 18, 1] Intraverat jam in cor tenelli pueri illud quod veritas dicit, Sine me nihil potestis facere. [Joan. 15. 5] Propterea puer Dei Dominum suum puris precibus exorabat, ut eum doceret facere voluntatem suam.**

**[6] Quanta vero in sancta oratione Domino inspirante didicerit, [virginitatis donum petit,] vel ex hoc conjici potest, quod virtutum omnium reginam, sanctam videlicet & immaculatam virginitatem, inter cetera obnixius dicitur postulasse. Quis enim tam teneram mentem tantilli pueri ad amorem sanctissimæ castitatis tam vehementer creditur inflammasse, ut eam super omnia sibi donari exposceret, nisi Rex ipse Virginum, castitatis amator Dominus Jesus Christus, quem purus puer tam assidue exorabat? In ecclesia igitur S. Michaelis in Horto, ad**

quamdam imaginem Crucifixi, S. Antonius, singulis diebus diutius orare consueverat; ita ut propter suam in orando perseverantiam multos verteret in stuporem; ibique inter cetera hoc fertur a Domino Jesu Christo instantius postulasse, ut scilicet perpetuam mentis & corporis virginitatem sibi concedere dignaretur, [impetrat,] dicens cum Psalmista, Fiat, Dñe, cor meum & corpus meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar. [Psal. 118, 80] Quam puram Deoque acceptissimam petitionem, sicut postea rei probavit eventus, gratia sibi divina concessit: libenter enim annuit Dominus talibus precibus. Virgo igitur immaculatus & purus S. Antonius usque in finem perdurasse narratur.

[7] Hujus etiam conservatæ virginitatis indicium fuisse videtur, [& in mortis articulo gratias de eo agit:] quod dum in extremo esset mortis articulo constitutus, ita ut vix ejus vox a circumstantibus audiretur, sæpius in ejus ore resonabant repetita hæc verba; Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio. Quambis enim ad S. Mariam Virginem, cui semper devotissimus extitit Antonius, possint illa verba referri; tamen non incongrue creditor, quod ipse sanctissimam virginitatis integritatem laudans, agebat gratias Deo, omnis castitatis datori, ipsique virginitatis virtuti, qua in se per Dei gratiam inviolabiliter custodita, cognoscebat se ceterarum quoque virtutum custodiam obtinuisse, simulque vitiorum omnium habuisse victoriam. Noverat profecto electus Dei puer Antonius, magni apud Deum meriti cognatamque Angelis esse virginitatem. Inspiraverat Altissimus servuli sui mentem, quæ mox fuerat futura omnium charismatum receptaculum, quoniam non nisi caste viventes templum sunt Spiritus sancti. Et ob id ipsam mentis & corporis puritatem puer Domini tantopere cupiebat, propterea etiam de tam grandi virtute usque in finem servata exultans in morte, crebro dicebat, Sancta & immaculata virginitas, quibus te

**laudibus efferam nescio: sciebat enim quod donata est illi innumerabilis honestas per manus illius.**

**[8] Jam vero nunc vellem facundus esse, ut clarissimos mores, sanctamque conversationem, omnemque vitam lucidam S. Antonii proloqui possem. In eo namque, ut verbis utar S. Ambrosii, [omnibusque ornatus virtutibus] tamquam in imagine videbatur imprimis ipsa virginitas, omnisque sanctissimæ vitæ integritas. De ejus siquidem vita & conversatione, velut de speculo quodam, fulgebat species castitatis & cunctarum forma virtutum: hinc sumi possunt exempla vivendi. [Ambr. 1. 2 de Virgin.] In vita Antonii, tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeamus ostendunt. Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, qui nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcius, legendi scribendique studiosior, memoria præstans: non in incerto divitiarum, sed in sancta humilitate & prece pauperis spem reponens: intentus lectioni & operi, verecundus sermone; arbitrum mentis solitus, non hominem, sed Deum quærere; providere tamen bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: non laedere reos, bene velle ac bene facere omnibus: obedire prælatis, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, omnibus se ex humilitate subjicere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando iste vel vultu aliquem læsit? quando fastidivit humilem? quando risit debilem? quando vitavit inopem? Nihil torvum in oculis aut curiosum, nihil in verbis procax, nihil in actu aliquando fuit inverecundum: ut ipsa species corporis & morum ornatus, simulacrum fuerit mentis figuraque probitatis: bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci. Nihil intus tenebrarum in anima latebat Antonii, ita ut mens ejus nullis repagulis corporalibus, nullis vitiorum umbraculis impedita,**



tamquam lucernæ lux intus posita, foris facile cunctis luceret.

[9] Quid exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, tolerantiamque laborum? alterum enim ultra naturam superfuisse, alterum vero, id est parcitatem ciborum, penitus ipsi naturæ defuisse videtur. Hinc Antonius semper erat operosus, illinc continuata jejunia sanctissimum corpusculum macerabant: cibus ejus erat talis qui mortem arceret, non delicias ministraret: nulla illi unquam fuit cura de escis, sciens quod dicit Apostolus in I epistola ad Corinthios cap. VI, Esca ventri & venter escis, Deus autem hunc & illam destruet. Proinde quid in potum cibumque sumptum esset Antonius, non ante noverat, quam sibi foret appositum. Ita etiam omnem edendi bibendique sollicitudinem, omnem escarum delectationem projecerat, ut plerumque epulas appositas non discerneret, & unum pro alio sumeret: sicut & de S. Bernardo legimus, qui sagimen crudum, per errorem sibi oblatum, pro butyro multis diebus noscitur comedisse; & oleum bibisse, tamquam aquam. [& vilioribus sic assuetus ut delicatiora non discerneret,] Nam cum propter ejus debilitatem crebrosque languores aliquando carnes comedere cogeretur Antonius, perdices appositas non cognovit, quia numquam tam pretiosas aves, utpote cibos delicatos & regios, vir sanctus sumere consensisset. Sed [comedit] quia ministri, perdices, quas sibi ed sublevandam suam debilitatem apponebant, cornices aves vilissimas esse dicebant. In qua re duplex ejus virtus sanctitatis apparet: prima est victus sui austeritas, quando in ipsa quoque infirmitatis necessitate cultiores escas vitabat: secunda vero est ejus admiranda simplicitas, & nulla prorsus cibi sui potusque sollicitudo, quando cornices a perdicibus non discernebat. Hæc & his similia multa de viri simplicitate ac bonitate retulit mihi vir religiosus Fr. Andreas de Fabriano, Conversus nostri Ordinis Prædicatorum, qui socius ejus multo tempore fuit

usque ad mortem suam: qui est etiam consecutus a sancto viro post ejus decessum in suis parentibus miraculosum beneficium, quod infra narrabitur.

[10] Quid de somno referam & quiete Antonii? Dormire illi non prius cupiditas, quam necessitas fuit. Sacras vigiliis supra modum amabat Antonius, primusque semper inter Fratres solitus erat surgere ad Matutinas, [brevis quoque somni erat:] implens Davidicum illud, Media nocte surgebam ad confitendum tibi: & item illud, Castigatio mea in matutinis. Post Matutinas vero non redibat vir sanctus ad quietem corporis, nec lassis membris indulgebat, quibus etiam multa necessaria subtrahebat: sed aut lectioni, aut orationi, vel suorum librorum compositioni vacabat: Fratrum insuper consolationi & consiliis, eorumque exhortationibus & confessionibus insistebat. Si quando tamen somnus illum imminens oppressisset, non in lecto corporalis quietis debile corpusculum deponebat: sed residens in loco ubi orabat aut legebat sive scribebat, elevata sursum ad cælum, quo semper erat intentus, facie sua, paululum quiescebat. Et tamen, cum quiesceret corpus, vigilabat animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetebat, aut somno interrupto continuabat, aut disposita gerebat, aut gerenda prænuntiabat.

[11] Quid de ejus humilitate dicam? quid ejus mansuetudinem exequar? [& mire humilis.] Hic namque cum apud omnes venerabilis atque gloriosus pro sua sanctitate existeret, apud semetipsum pro sua humilitate incredibili vilescebat; memor illius sententiæ quæ scribitur in libro Ecclesiastici cap. III, Quanto major es humilia te in omnibus; & ejus item quæ scripta est ibidem cap. 7, Humilia valde spiritum tuum. Hic Dei amicus sibi semper humilis, aliis vero judex æquissimus, sed mitissimus nihilominus fuit. Hic ex humilitate sibi durus & rigidus, aliis ex mansuetudine largus extitit, patiens &

**benignus: gerebat enim semper in pectore illam Salvatoris nostri sententiam Matthæi XI. Discite a me quia mitis sum & humilis corde. Mitis in moribus, ut neminem lædam, omnibus benefaciam: humilis autem in mente, ut neminem judicem neminem condemnem. Mitis ergo & humilis erat Antonius: quia virtutes quas exterius ejus mansuetudo clamabat, interius ejus humilitas peramplius possidebat. Longum nimis esset hujus viri omnia virtutum præconia enarrare: sed de moribus ejus & laudibus hæc in generali sic breviter decursa sufficiant: nunc aliqua particularius exprimamus.**

**[12] Noverat vir Dei teneram & lubricam esse castitatis opinionem, facileque aut amitti aut maculari, [a familia sua excludit pueros & mulieres,] nisi virginum pudor ab omni specie mala absteineat se. Quia enim pauci sunt qui carnis continentiam servant, pauciores vero qui cum carne etiam mentem teneant mundam; ex levissima suspitione ipsi incontinentes de aliorum continentia incipiunt titubare. Propterea fugiebat Antonius omnia suspecta consortia: pudica mens ejus pudicos servabat oculos, pudicos sermones, pudicosque gestus omnes & mores. Ait ipse in quadam sua epistola, posteaquam factus est Episcopus, ad Fr. Laurentium de Ripa-fracta: Ego, inquit, in familia nostra nullum habeo puerum vel adolescentulum: sed omnes excedunt XXV annum, & sunt Sacerdotes, uno excepto qui Diaconus est: & multo magis famuli laici ab adolescentia recedunt: nec hic conversantur pueri, nisi qui veniunt cum patronis suis Presbyteris, habentibus diversas causas, vel portantes litteras a mercatoribus vel magistris. Ego nec cum pueris, nec cum mulieribus loquor, nisi in locis publicis, videntibus cunctis. Sunt multa in eadem epistola digna memoria, quæ omnia brevitatis causa omitto: spero tamen, si permiserit Deus, & hanc & nonnullas alias ejus epistolas aliaque opuscula in unum, sicut potero,**

**coarctare volumen. Interim hæc pauca sumpta sufficient ad propositum præsentis negotii.**

**[13] Videant ergo minus perfecti & infirmi, quanta custodia servanda sit castitas; quando vir Dei, [ne quam de se suspicionem mali præberet:] de quo nulla jam vel levis poterat esse suspicio (utpote) qui, dum adhuc viveret, Sanctus, sicuti erat, appellabatur & credebatur) tanta vigilantia domum suam, tanta diligentia virginitatis suæ odorem suavissimum conservabat; ita ut nec bonus nec malus quisque de purissimo viro impurum posset aliquid suspicari. Providebat enim Dei servus, juxta sententiam Pauli ad Romanos cap. XII, bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Oportet enim Sanctos & ab his qui foris sunt testimonium habere bonum, sicut dicit Apostolus in I epistola ad Timotheum cap. III. Sic S. Nicolaus mulierum consortia ab ipso juventutis suæ tempore semper exhorruit: sed ex quo factus est Episcopus, quasi quamdam pestem fugiebat, ne videlicet tantæ dignitati aliquam malæ opinionis maculam inferret. Beatissimus Pater noster Augustinus etiam sororis familiaritatem vitabat, indignum ducens ut Episcopus implicaretur colloquiis feminarum.**

**[14] Quid dicam de S. Dominico Patre nostro, qui ad mortem veniens, [in hoc secutus exempla Sanctorum.] Fratres suos præcipue ad castitatis custodiam hortabatur: ajebat enim, decere virum euangelicum; qualem suus Ordo instituit & requirit, etsi [conveniat] omnium virtutum floribus esse ornatum; tamen virginitatis odore etiam in hominum opinione præcipue redolere oportere. Sic, inquit vir sanctus, magis erit prædicatio fructuosa, si Fratres mei, quos ad prædicandum specialiter deputo, illius summi prædicatoris Domini nostri Jesu Christi puritatem puritatisque famam imitari conentur, quem numquam adversarii sui Judæi ausi sunt de aliqua suspecta familiaritate notare. Sanctus etiam Doctor**

**Thomas Aquinas, postquam superata illa terribili tentatione ab Angelis est visibiliter ac sensibiliter perpetuæ castitatis cingulo communitus, maxime cœpit vitare consortia feminarum: dicebatque, non decere virum Deo dicatum diu manere cum mulieribus ad loquendum; quin potius mirabatur, quomodo religiosus, quem semper oportet esse in his quæ Dei sunt, posset cum feminis, nisi de valde necessariis & multum utilibus, fabulari; quamvis & hoc ipsum utile & necessarium breviori sit sermone solvendum.**

### **ANNOTATA.**

**Bernardus de Martinis, civis Florentinus, ann. LXXV, in 2 exam. testis 10, dicit, audisse a D. Agnolecta de Ghibertis, nobili Matrona Florentina, quod cum puer esset Antonius, ante ingressum Religionis, singulis diebus mane, in ecclesia S. Michaelis de Orto, in civitate Florentiæ, per unam horam, genibus flexis orabat ante Crucifixi figuram: quod ipsa D. Agnolecta habuit ab avia ipsius Archiepiscopi, prædicta sciente.**

**His adde 1, quod Joannes Miniatis Christophori de Florentia, in 1 exam. Testis 15, ann. LXXIV, dicit quod doluit dum sibi procurator apposuit perdicem unam, affirmans totam familiam unius pauperis ea impensa uno die potuisse sustentari. II, quod Testis 43 in 2 exam. Ser-Joannes Attavantis de Vincentiis, civis Florentinus & Notarius publicus, addit; quod dum esset infirmus Antonius, & a nobili muliere perdix præparata fuisset pretii solidorum sex, remisit eam Antonius, dicens, tanti valentis pretium demptum fuisse pauperibus plus eo egentibus.**

**In eodem 2 Exam. Testis 23, Marcus olim Joannis Marci de Florentia, ann. LXXVI, dicit, se tetigisse lectum ipsius, & quod neque culcitram neque lintea teneret.**

## CAPUT II.

### Tentationes per merita B. Antonii dispulsæ: morientis gloria revelata.

[16] Adhuc vivente S. Antonio hoc stupendum contigit miraculum, quod narratur. Fuit in civitate Florentia quædam devota & bona mulier de Pœnitentia S. Dominici, [Mulieri sibi numquam locutæ præ reverentia] quæ virum Dei Antonium magno venerabatur affectu, tantaque eum devotione prosequabatur, quod ubicumque illum fore aut quacumque transiturum exaudisset, continuo accurreret, ut illius benedictionem positis genibus, sicut & ceteri, recipere mereretur: seque beatam atque ab omni periculo tutam esse existimabat illa die, qua a sancto viro benedictionem accepisset. Erat enim mirabilis devotio universi populi ad quærendum ab illo benedici: omnes namque, quacumque illum transire rumor ante clamasset, currebant protinus, senes & parvuli, nobiles & plebei, laborantes & otiosi, viri & mulieres: & flexis genibus inclinatisque cervicibus benedictionem sancti Præsulis expectabant. Quamvis autem tantum illi esset affecta, numquam tamen, præ quadam reverentia ac etiam pudore femineo, locuta est secum: sed solum ejus præsentiam, tamquam Angelum Dei, delectabatur aspicere.

[16] Hæc igitur devota mulier vexari cœpit magna quadam & periculosa tentatione ac impugnatione spiritali, quæ eam diaboli factione pene in desperationem adduceret. Casta & mitis erat hæc mulier, & multis ornata virtutibus: & tamen tantis impugnata tentationibus, & una præcipue ceteris duriore, quod qualiter evaderet nesciebat. Cœpit igitur in spiritu se sancto viro Antonio devotius commendare; quamquam, sicut præmisimus, [graviterque tentatæ,] nihil unquam de hac vel alia re loqueretur eidem. Denique factum est ut non multo post ab Antonio plenius audiretur ac

liberaretur, visione quadam imaginaria sibi hujusmodi apparente. Videbatur siquidem dictæ mulieri, quod in Cathedrali ecclesia Florentina, quæ S. Maria del Fiore sive etiam S. Reparata nuncupatur, vir Dei adesset, [in somno apparens,] magna populi frequentia constipatus: in quem intenta ascipiens, benedictionem more solito exspectabat. Tum ille, qui nedum feminam, sed nec virum aspicere pro sua modestia solitus erat; intendens in eam, nimio certe dolore afflictam, extenta manu ut ad se accederet annuebat. Illa vero tum ex verecundia, tum etiam quia, cum plena esset ecclesia, non magis illam Episcopus quam alium vel aliam quamlibet vocare nutibus videbatur, Sancto appropinquare non audebat. Sed vir Dei iterum atque iterum in eam intendens, ut ad se veniret clarius annuebat.

[17] Tunc illa, sumpta fiducia, per medios populos ad Sanctum accedit: [eique bene consulere visus,] & ille aliquantulum declinata turba, quasi secretius locuturus, eandem mulierem de multis admonuit & instruxit: & sibi aperuit & revelavit, quidquid in ejus conscientia erat, & quidquid illa in corde versabat, præsertim super illa sua tribulatione, quam patiebatur: dixitque illi, Vade & Confessori tuo talem & talem rem aperi, & ultra non timeas diaboli tentamenta nec dolos. Adiecitque, Vade illuc ad illam parvulam fenestram seu foramen, & cyathum qui ibi plenus est accipe, & bibe, & liberaberis ab omni tentatione ac desperatione quam pateris. Quæ accepta Episcopali benedictione, cum accessisset ad locum, & cyathum plenum amarissima potione conspiceret; primum illam assumere durum sibi videbatur; demum jussis Præsulis parere volens, cum vellet bibere medicinam, [serenitatem mentis restituit.] cyathus e manibus ejus ad pedes dilabitur, & fractus rumore suo mulierem excitat dormientem. Illa vero ad se reversa, mirari cœpit super hujusmodi visione; præcipue super eo quod vir sanctus illi indicaverat omnia quæ habebat

**illa in corde: magis autem stupebat, quomodo tam subito omnis illa sua tentatio abscessisset. Nam e somno surgens, sensit se protinus ab omni scrupulo & impugnatione mirabiliter liberatam. Jussa vero ac monita sancti Pastoris quæ sibi in visione dederat, devote & fideliter implens, in magna pectoris pace ac animi tranquillitate remansit; gratias agens Deo & sancto suo Antonio, qui tam excelsi meriti fuit, ut adhuc vivens cordis sui videret occulta, & tam citum tamque salubre posset præstare remedium.**

**[18] Aliud audivi miraculum, ex ore proprio ejus qui recepit a Sancto subsidium: [Item civi honorato] quod miraculum, sicut & illud quod paulo ante narraui, mihi videtur miraculorum maximum: quia menti non corpori præstitit sanitatem, quod solius Dei proprium esse videtur, vel illorum qui sibi maxima familiaritate junguntur. Civis namque quidam Florentinus, Sandrus Pagagnottus nomine, qui pro sua prudentia ac fidelitate domus omnis Petri Francisci Laurentii de Medicis œconomus extitit, [ac pene ad desperationem acto,] & nunc quoque omnem ejus substantiam administrat atque dispensat, cœpit circa annum Domini MCCCCLXV tanta mentis perturbatione, tanta dæmonis impugnatione vexari, ut pene rueret in desperationem. Cogebatur siquidem vehementer, diabolo instigante, ea agere quæ animæ & corpori magnum essent paritura dispendium: atque ad ea perductus est, ut neque tanti mali perpetrationem posset satis evadere, neque quid pro consilio ageret in re tam periculosa occurreret. Perdurat in hac angustia mensibus circiter sex, nec ulla inveniuntur remedia vel consilia: & jam prope erat ut in eventum cadat, quo fiat vir prudens & bonus cunctis irrisio & opprobrium; & quod his omnibus gravius est, ruina & insanabile ferme scandalum sibi ipsi.**



[19] [devote invocatus.] Denique dum quadam die iret eques in villam quæ vulgo dicitur Mugello, & ea tribulatione solito gravius premeretur; cœpit sic equitando, præ nimia angustia spiritus, se devote & ex toto corde commendare S. Antonio; rogans ut illum dignaretur de tanto ac tali periculo suis meritis & precibus liberare. Mirum dictu! Paululum progrediens, sensit continuo tantam mentis tranquillitatem, quantam numquam antea sit expertus: & occurrente sibi, ob merita viri sancti, remedio salutari, omnis illa tribulatio omneque periculum penitus discesserunt. Ex quo multum admirans, de tam celeri tamque salubri subsidio, Deo & S. Antonio gratias referens immortales, etiam reddidit vota sua, mihi hæc omnia postmodum de anno Domini MCCCCLXVI, die XXVII mensis Aprilis, lætus pariter & admirans, per ordinem enarravit.

[20] Religiosus quidam, valde devotus S. Antonii, gravi carnis sordidarumque cogitationum impugnatione vexari; [Religioso quoque seni,] idque mirum videbatur, quod in homine jam propectæ ætatis tanta libidinum incendia pullularent. Agebat ille non segniter adversus teterrimm foetidissimumque hostem: sed ipse magis magisque ardentis concupiscentiæ flammæ contra Christi athletam excitabat. Demum vir bonus, nimia anxietate permotus, magnaque repletus amaritudine, ad Jesu jacebat pedes: & ne in turpem illam tentationem induceretur, humiliter precabatur. Denique cum parum proficeret, [graves carnis stimulos eximit.] adversario suo nimirum contra eum fortiter dimicante; ea qua potuit devotione & fide, se S. Antonio commendavit, postulans a tanto æstu refrigerium salutare. O mirum stupendumque miraculum! Sensit ille continuo auxilium, paulatimque turpis illa tentatio, Domino concedente & S. Antonio intercedente, cessavit. Hoc autem contigit circa annum Domini MCCCCLXVIII, Religioso eodem, qui tale promeruerat beneficium, mihi cum gaudio revelante: qui quidem

**Religiosus, ob dictam causam ac propter alias gratias quas a sancto Viro recepit, ipsum S. Antonium magna devotione veneratur.**

**[21] Eadem die eademque hora qua S. Antonius migravit a corpore, videlicet II die mensis Maji, anno Domini MCCCCLIX, [Ipsa qua moritur hora,] in crepusculo diei, in Vigilia Ascensionis D. N. Jesu Christi, quædam devota mulier de pœnitentia. S. Dominici, de qua jam fecimus mentionem, de ipsius S. Antonii transitu & gloria visionem habuit hujuscemodi. Erat præfata mulier in sua domo quiescens in stratu suo, die & hora jam dicta; habebatque secum matronam quamdam seniore, quasi custodem juventutis suæ, præcipueque cum ad ecclesiam vel alias foris procederet sociam: neque enim sine comite prodire domo sciebat, propter teneram famam pudoris. Hæc igitur anus, dum appropinquare cerneret. auroram, juvenulam a somno excitat, ut dictis eorum Matutinis laudibus, postea cum dies clarior illuxisset, ad ecclesiam pergerent: Surge, inquit, quoniam prope est jam dies. Expergefata illa surgere cœpit a lecto; sed somno oppressa (erant) enim oculi ejus gravati) paulisper inclinata super stratum suum, iterum requievit, non tamen plene dormiens, neque aperte vigilans. Et ecce subito facta est super eam manus Domini, & sic inter somnum & vigiliam vidit cælos apertos, & Jesum Christum sedentem super solium excelsum & elevatum nimis, circumdatum immensa gloria innumerisque Sanctorum & Angelorum millibus circum septum, & plena erat omnis terra majestate ejus, & vidit arcana Dei quæ non licet homini loqui.**

**[22] Tunc illa, hujuscemodi visionem cum gaudio admirans, [ostenditur juxta SS. Dominicum & Thomam] convertit oculos ut videret Sanctos sui Ordinis, videlicet Fratrum Prædicatorum: & ecce vidit innumeram multitudinem Fratrum dicti Ordinis, quorum singuli pro**

suis meritis diversa claritate fulgebant. Inter reliquos autem conspexit inclytum Patriarcham S. Dominicum, in pulcherrima atque ornatissima mansione; & juxta eum vidit gloriosum Doctorem S. Thomam de Aquino, immensa claritate decorum, uno Angelo medio inter utrumque: penes vero Thomam aspexit tabernaculum pulcherrimum & mansionem ornatissimam vacuam, uno etiam Angelo medio inter S. Thomam & sedem vacantem. Cumque mulier tam suavi visione pasceretur, [præparatus locus] ecce unus de ministris Regis æterni, cum baculo sive virga aurea, sicut portare solent ministri Papæ hodiernis temporibus, cœpit annuere circumstantibus voce & gestibus, ut locum venienti darent: videbaturque sibi, quod inter alia diceret hæc verba, transiens per eam quæ astabat mediam multitudinem, Fate largo, Fate largo: hoc est, Cedite, cedite: date locum. Ipsa autem mulier, ut illi apparebat in visione, erat in paradiso, in loco inferiori, super pavementum stratum tapetis & pulcherrimis pannis; ibique sedens cum innumera multitudine Jesum in decore suo læta aspiciebat: majores autem Sancti juxta ipsum Regem gloriæ, in gradibus & locis eminentioribus, collocati erant singuli in ordine suo.

[23] Cumque Angelus ille minister Domini solícite ageret ut locus daretur venienti; mulier, cum juxta eam ille trasiret, secum audacter loquitur, [in quem introducendus Antonius.] interrogans eum & dicens, Quidnam est hoc? cur ut locum cedamus tanta celeritate, jubes? En, inquit, S. Antonius Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Florentinus, modo seculum hoc triste relinquens, cælum ingressurus est, locandus in sede sibi disposita; & paratam sibi in domo Dei patris mansionem, pro suis laboribus & meritis, accepturus. Vix Angelus verba finierat, cum jam jam omnes cum gaudio Antonium expectarent. Et ecce matrona illa, moræ impatiens, juniorem sociam suam iterum vocans, excitavit eam, & continuo visio illa disparuit. Mulier vero nimium dolens,

quia finem tam admirabilis visionis videre non meruit, simile quiddam respondisse fertur, sicut S. Ambrosius, qui in Missa obdormiens ad exequias rapitur S. Martini, sed excitantibus eum Clericis suis finem funeralis officii explere non potuit. Notavit ergo mulier tempus, & invenit quod eadem die & hora R. P. Antonius migravit ad Christum. Unde quis dubitet virginem ac doctum Antonium, juxta Virginem & Doctorem Thomam esse locatum in cælis, cujus doctrinam & vitam est imitatus in terris.

### **CAPUT III.**

#### **Varia beneficia, mortui Antonii invocatione impetrata.**

[24] Post mortem Viri paucis exactis mensibus, contigit hoc quod narro miraculum. [Toto vultu tumens] Quedam mulier de Fabriano, insigni oppido Marchiæ Anconitanæ, ita totius capitis ac faciei tumore cœpit ægrotare, ut in fronte ejus vix possent oculorum formæ discerni: tumulus enim quidam caput ejus & facies videbantur, ac per hoc nihil pene videbat. Cumque hoc morbo diutius laborasset, addita est infirmitati ejus contractio totius corporis; & velut in globum redacta, membrorum omnium usum perdiderat. [& corpore contracta,] Jacere in strato suo paupere misera non valebat: & cum etiam stare non posset, sedens in spirarum morem, dolens heu nimium atque ejulans, laborabat. Hujus germanus fuit quidam vir religiosus Fr. Andreas de Fabriano, Conversus Ordinis Prædicatorum, ac socius per aliquot annos S. Antonii usque ad obitum suum: qui Fr. Andreas adhuc multa solet mecum atque cum aliis de beati viri virtutibus cum lacrymis recitare. Hic igitur Fr. Andreas, post transitum S. Antonii, usque Fabrianum parentes suos visitaturus perrexit. Ut autem matri & suæ præfatæ sorori infirmæ, [donatam sibi mortui Anonii tunicam] egestate non modica laborantibus, in aliquo subveniret; donavit illis

quamdam tunicam S. P. Antonii, in eorum necessitates convertendam: nam & alias, dum adhuc superstes esset Antonius, multas eleëmosynas, quas ab ipso acceperat, pauperulis feminis tribuebat Fr. Andreas. Suscipientes igitur devotae mulieres præfatam tunicam, in quadam cassa cum devotione & reverentia posuerunt; penuriam potius ferre volentes, quam tam pretiosum thesaurum in usus proprios ac tam necessarios convertere; aut tam sancta veste ad operimentum uti alterius earum: ipse enim Fr. Andreas multa de virtutibus & miraculis S. Antonii retulerat prædictis feminis.

[25] Visitata ergo matre, visitata & sorore infirma, cum eas ad patientiam, [reverenter induens] ad fiduciam in Domino, & ad devotionem S. Antonii fuisset hortatus, abscessit. Præfata igitur mulier, omni spe atque omni humano auxilio destituta, Deo se totam committens, devote cœpit suam calamitatem commendare S. Antonio, supplicibus quibus poterat votis auxilium postulando: & cum jam advesperasceret, petiit a matre sua, ut sanctam illam tunicam sibi afferret, eamque indueret. Quod & illa continuo fecit, & sic super nudum vestivit filiam tunica sancti Viri. Tum ægra, spem magnam habens in Deo & in S. Antonio, [subito convalescit.] tota nocte dormiens cum vestibus sanctis, mane facto surgens e lectulo, sanam se ac liberatam invenit, tam a faciei capitisque tumore quam a contractione membrorum. Unde Deo & S. Antonio gratias agens, eadem die perrexit ad flumen, & cum aliis mulieribus cœpit lavare pannos lineos, quos mater sua per se ipsam lavatura, nisi filia sua fuisset tam subito curata, paraverat. Mirantibus vero cunctis super tanta novitate & super tam repentina gratia sanitatis, narravit illa miraculum: & facta est admiratio & lætitia magna in populo, & omnes qui viderant & qui audierant glorificabant Deum, qui in Sanctis suis usque hodie mirabilia operari non cessat.

[26] Fuit in civitate Florentiæ civis quidam, vir nobilis, [Vir nobilis & filiabus gravatus,] bonus & simplex ac timens Deum, nomine Feus, quondam alterius Fei de Belchariis, non mediocriter in sacris litteris eruditus, eidem S. Antonio satis familiaris & notus: cui etiam aliquando generaliter confessus est omnia peccata, omnemque a pueris vitam suam: qui non multum opibus abundans, familiam habuit admodum onerosam, non quidem moribus malis, sed magis fortunæ necessitate. Nam in familia sua, quam religiose nutriens ab ipsa infantia semper docuit timere Deum & cavere ab omni peccato, habuit plures filias feminas, quas honorifice secundum suum statum & carnis ingenuitatem nuptui vix tradere poterat; multas tamen, Domino largiente, honorabiliter maritavit. Hic itaque de quadam ejus filia, nomine Margarita, quæ erat jam plenis nubilis annis, propter dotis exiguitatem multo tempore anxius fuit, eo maxime quia tempore illo in sua civitate puellæ vix poterant magnis dotibus desponsari: sicque per annum & ultra in quærendo viro suæ filiæ laboravit; nec sibi occurrebat gener, qui divitiis & nobilitate, magis autem honestis moribus adornatus, satis suæ filiæ conveniret.

[27] Contigit igitur quadam die, in anno obitus S. Antonii, de mense videlicet Januarii, [in somnis adstare visus corpori Sancto,] qui mensis fuit nonus ab ejusdem beati viri transitu, ut idem Feus, cujus semper fuit moris cum sanctis & religiosis hominibus conversari, esset in domo monachorum S. Benedicti, Congregationis S. Justinæ de Padua, in monasterio quod est prope Florentiam, in loco qui vulgariter le Campora nuncupatur. Ubi cum post multa sancta colloquia, habita cum monachis & secularibus, qui illuc ex devotione convenerant, quieti se cum aliis paulisper dedisset; visionem quamdam imaginariam in somnis circa auroram habuit hujuscemodi. Videbatur siquidem sibi esse in ecclesia S. Marci Ordinis Prædicatorum, in civitate Florentia, ubi corpus S. Antonii

præfati quiescit: videbatque sacrum corpus Antonii, in quodam feretro existens in medio ecclesiæ, versis pedibus ad ostium ecclesiæ Fratres vero dicti Conventus stare circa ipsum corpus, clausa ecclesia, nullo alio ex secularibus præter ipsum solum Feum existente. Descendebat autem ipse Feus a choro Fratrum in ecclesiam, ad videndum Sancti sacrum corpus, illudque integrum ac prorsus immaculatum conspiciebat. [eique unam earum commendare,] Cumque reverenter corpori, ut deoscularetur illud, appropinquasset; visum est illi vivum videre S. Antonium, cœpitque cum admiratione & gaudio dicere, En vivit Antonius, quem mortuum putabamus.

[28] Tum ille, flexis genibus ante faciem Antonii, cum lacrymis veneravit eum; & suam illi filiam, pro qua maritanda jam, sicut prædixi, per annum anxius steterat, devotius commendavit; dicens, Commendo vobis, Pater & Domine mi, Margaritam meam filiam, ut oretis pro ea: additque, Facietisne quod peto? Vir autem sanctus, Feum læto vultu aspiciens, inclinansque caput, suæ petitioni annuere videbatur: sicque visio illa disparuit. [virum illi supra spem invenit.] Feus vero expergefactus rem tacitus considerabat; expectansque auxilium a S. Antonio Florentiam rediit. Mira es? Paucis interjectis diebus, offertur Feo pro filia sua vir dives & nobilis ac bonis moribus adornatus, contentus satis parva dote, quingentis videlicet aureis; cum ab aliis octingentos aureos, majorem adhuc dotem expetens, recusaret. Celebrantur ex more nuptiæ, & usque hodie in bono & felici statu ac sancto timore tale conjugium perseverat. Non dubitat idem Feus, quin in tali matrimonio apud Deum mirabiliter sit operatus S. Antonius, cui sæpe pater filiam commendarat. Ecce quomodo B. Antonius se invocantes exaudit: ecce quomodo vivens Feo fuit amicus, & mortuus subsidia præstitit postulata.

[29] Civis quidam Florentinus, nomine Simon Pierozzy Orlandi, de populo S. Mariæ Alberighi, per multos annos tumorem vesicæ & descensum intestinorum in ipsam vesicam gravi languore portavit, quam quidem infirmitatem herniam vocant: [gravem herniam patiens] qui etiam morbus, ut materno utar sermone, dicitur il male del crepato, sive, rotto di sotto. Hic dum post mortem præfati sanctissimi viri circa annum Domini MCCCCLX gravius tali ægritudine premeretur, & nulla posset per medicos remedia invenire, nulla etiam vota, nullæ preces ipsum juvarent; quadam die, postquam multas ecclesias circumeundo se Deo & Sanctis ejus plurimum commendaverat, nec tamen levamen senserat; tandem ad ecclesiam S. Marci veniens, ante sepulcrum S. Antonii in oratione se posuit, & genibus ac præ nimio dolore gemens, recordatus est familiaritatis quam habuit cum sancta viro cum adhuc viveret, atque in hoc mœrore simulque dulci recordatione talia ad eum verba direxit: O sanctissime Præsul, o venerande mi Pater Antoni, sicuti ego firmiter credo te pro tuis meritis adstare coram Deo inter reliquos Sanctos, [ad sepulcrum ejus orando sanatur.] ita rogo & supplico, quantum valeo, misericordiam tuam, quam semper vivens erga afflictos & miseros ostendisti, ut pro me intercedas apud Reginam cæli virginem gloriosam Mariam, quatenus dignetur ipsa rogare filium suum, ut me liberet a tantis doloribus. His dictis neque voto alio emisso, cum paululum mœrens & lacrymans substitisset, continuo exhilaratus ab oratione surrexit: &, o mira res, stupendumque miraculum! statim ante sepulcrum Antonii se ab omni dolore liberum, ac ab omni illa inflatura ac infirmitate sanatum invenit. Quod ipse admiratus, domumque lætus remeans, ac deponens omnem ligaturam, gratias Deo & S. Mariæ reddidit, nec non & S. Antonio, qui eum suis meritis tam repente sanavit ab infirmitate; quæ in senibus, cujusmodi ipse erat, pene est incurabilis. Hæc omnia referre solet cum gaudio & lacrymis ipse Simon, a quo & ergo ista audivi.



[30] Quidam adolescens, bonæ profecto indolis, devotus & purus ac timoratus, nomine Jacobus, filius nobilis viri Leonardi de Mannellis de Florentia; dum sibi a patre in Romana Curia petatum foret munus Canonicatus in Cathedrali Florentina ecclesia, [impeditus in adeundo canonicatu,] quæ S. Maria del Fiore nuncupatur, nec illud posset pacifice absque magna impensa & vexatione possidere; videns patrem suum Leonardum in tali causa anxium nimis atque sollicitum, multisque curis & vexationibus ac sumptibus perturbatum; ac propterea religiosus juvenis, patris molestiæ magis compatiens, quam Canonicatum ambiens, tale Deo & S. Antonio votum vovit. Oravit siquidem S. Antonium, ut si suæ saluti expediret, tale sibi officium talemque dignitatem a Domino pacificam impetraret, [mox ut eum invocat, litis suæ finem obtinet.] & patrem suum a tanta sollicitudine & angustia liberaret: sin autem hoc suæ saluti videretur esse contrarium, finem simul quæstioni poneret & dignitati. Nec mora, post paucos dies lite omni finita Canonicatus officium cum pace obtinuit, & successit in locum D. Coluccii de Salviatis, & hodie vocatur D. Jacobus de Mannellis. Qui statim ut tale beneficium consecutus est, ad tumulum accessit Antonii, & reddidit votum suum, gratias agens, quod & patris vexatio esset terminata, & ipse munus obtinisset quod nequaquam videretur suæ repugnare saluti. Contigit autem hoc circa annum Domini MCCCCLXII, idque ab ipso D. Jacobo coram duobus testibus mihi relatum est, die XXIV mensis Maji ejusdem anni.

[31] Quidam de familia D. Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum ita acriter fuit de anno MCCCCLXIII vulneratus in crure, [cruris fracti desperata plaga] quod osse fracto & magna plaga & scissura facta in sura, sive ut vulgarter loquar in polpa crucis, pene est a medicis desperatus. Unde cum dolor nimius eum vexaret, & spes salutis nulla miserum sublevaret; quidam ejus socius

hortatus est eum, ut se commendaret & votum faceret sancto viro Antonio Archiepiscopo Florentino, cujus sanctitas erat in urbe notissima. Qui statim emisso voto cœpit melius se habere: & qui cum dolore jacebat, cœpit lætus ambulare per domum: ac demum plenæ redditus sanitati, Florentiam venit ad tumulum S. Antonii, reddens Altissimo vota sua: Priorique domus S. Marci, in qua jacet corpus S. Antonii, obtulit se velle servire Fratribus & Conventui per tres menses, sicut ipse voverat. Pius tamen Pater Fr. Santez de Florentia, [voto facto solidatur.] tunc Prior dicti Conventus S. Marci, cognita fidelitate voventis & promptitudine adimplendi, inspecta etiam paupertate personæ, secum in tali voto & servitio misericorditer dispensavit: qui gratias agens, & se nihilominus ad ejusdem Prioris mandata promptissime offerens, lætus remeavit ad propria.

## ANNOTATA.

Huc spectat quod in 2 Exam. testis 46, Fr. Georgius olim Baronio de Capellis ann. LII dixit, quod ex humilitate, etiam Prælati existens in religione, hora dormitionis & silentii, Fratres ad orandum & quiescendum ire jubebat, & ipse coquinam purgabat & vasa & scutellas lavabat: & quod solitus fuerat, post celebrationem Missæ suæ quotidianæ, deservire alteri Sacerdoti Missam celebranti, pro majori merito & humilitate.

## CAPUT IV.

### Sterilis fœcundata, varii infirmi sanati.

[32] Mulier quædam nobilis Florentina, nomine Constantia, filia Luçæ de Panzano, [Mulieri per annos 18 sterili] tres viros habuit, cum quibus vixit annos circiter XXII a virginitate sua: per annos vero XVIII semper sterilis perduravit, neque balnearum fomenta, neque medicamina ulla, sed neque preces aut vota prolem ei

tradere potuerunt. Tandem de anno Domini MCCCCLXII, die XXII Maji, cum jam annos quatuor exegisset cum tertio viro, sic semper sterilis; votum vovit S. Antonio, quod si sibi puerum masculum a Domino impetraret, illa editum filium per annos VII habitu Ordinis Prædicatorum indueret, ac imaginem ceream ad similitudinem parvi pueri ferret ad ejus tumulum, Missasque celebrari faceret ac cereos offerret, atque alia prout noverat fideliter adimpleret. [quatuor proles conceduntur.] Miranda profecto res! Non post multos dies conjuncta ex more viro, se protinus concepisse gaudet, & mense nono post emissum votum, videlicet die XXIII Februarii de anno MCCCCLXIII, peperit pulcherrimum puerum, vocans eum sicut voverat Pier-Antonium. Mirantur vicini & cognati, & præ admiratione tanti miraculi non possunt credere prolem esse Constantiæ, sterilis tanto tempore, sed submissum & suppositum partum suspicantur. Verum cum illa parere non cessaret, sequentes filii fidem primogeniti reddiderunt. Nono post hunc mense alium peperit, quem Bartholomeum vocavit: ac deinde duas filias genuit, & sic in tribus annis, quibus cum tertio viro, Bardo Angeli Zonaccia, post emissum votum vixit, duos filios masculos duas genuit filias feminas.

[33] Hic libet considerare, Antonii merita quantum valeant apud Deum: hic animadvertere magnificam largitatem Antonii, qui rogatus ut unum puerum sterili feminæ daret, dedit quatuor, pluresque dedisset si vir ejus non fuisset mortuus. Videtur mihi Antonius alter Isaac, qui ut scribitur Geneseos XXV, deprecatus est Dominum pro uxore sua eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sic Antonius pro devota sibi femina sterili deprecatus est Deum, qui ob merita Antonii donavit mulieri fructum copiosissimum ventris sui. Non cessavit vir sanctus gratias multiplicare, sed miraculum miraculo addidit. [ejus filius bis ad extrema deductus servatur:] Bartholomæus enim,

secundus filius Constantiæ, bis ad extrema deductus, desperatus a medicis, facto voto ad S. Antonium continuo liberatus est. Perseverat hæc mulier in magna devotione ad virum Dei, multaque beneficia quotidie miraculose recipit per merita S. Antonii. Nam & fratri suo, infirmo valde graviter, contulit beneficium sanitatis, jam a medicis desperatæ: qui sanus effectus, uxorem duxit, & in bona valetudine adhuc perdurat. Hæc omnia retulit mihi præfata mulier in præsentia Fr. Antonii de Lajone de Florentia, die VI Martii MCCCCLXVIII, dum venisset ad tumulum S. Antonii, ex devotione maxima quam habet ad eum, & ut persolveret vota sua pro prædictis ac innumeris aliis gratiis, quas frequentes a S. Antonio experitur in suis necessitatibus.

[34] Quidam Tabellio, nomine Santez de Bagnano Florentini Comitatus, [ardens & incurabilis febris aufertur:] de anno Domini MCCCCLXIII de mense Julii, ita vi febrium est oppressus, quod pene a medicis desperaretur, non valentibus illis ardorem febris restinguere, aut saltem quo eam ferret levius temperare. Tunc ille humano auxilio destitutus, tale votum vovit Deo & S. Antonio, quod si infra sex dies liberaretur, quædam, prout ipse proposuit, ad honorem B. Antonii observaret. Et ecce quinta die post votum, affuit quidam alienigena, qui sibi salubre remedium attulit: & continuo cessavit febris, & liberatus est. Ipse vero Santez, non medico forensi, sed S. Antonio hanc sanitatem attribuit: & non viventis arte, sed sancti viri defuncti prece & merito, se credit & prædicat liberatum. Mihique hoc cum gaudio retulit, die XXX Novembris de dicto anno MCCCCLXIII, in præsentia Fr. Laurentii de Pistorio Ord. Predicatorum & nonnullorum etiam secularium.

[35] Fr. Joannes de Marignolle de Florentia, Conversus Ord. Predicatorum, [oculus dexter cum gravi cruciatu fere excacatus] tunc vestiarius in Conventu S. Marci, ubi jacet

corpus B. Antonii, circa annum Domini MCCCCLXIII, talem per totam unam diem in dextero oculo dolorem perpressus est, ut putaret se sagittarum seu acum puncturis in pupilla oculi & in supercilio crudelissime vulnerari. Sequenti nocte surgit dolens ad Matutinas, & præ lacrymarum humore desiccato oculum clausum sensit. Conatur ille pro viribus aperire, sed minime potest, licet magna vi paulisper jam respirare inciperet. Tandem nimio dolore simul & mœrore vexatus, ad sepulcrum beati viri in ecclesia pergit, ibique flexis genibus taliter cum lacrymis exorsus est. [ad sepulcrum reseratur:] Pater sancte, recordare, quia dum viveres numquam mihi eleemosynam pro matre mea vetula & pauperrima denegasti, numquam me pro quacumque mea necessitate a tua misericordia inconsultum abire permisisti: & nunc quoque noli me, precor, in hac angustia derelinquere. Ego tantam in te fiduciam habeo, tantumque de tua sanctitate ac pietate præsumo, quod hinc non recedam, nisi prius sanitatis sensero beneficium: ego vero, ad laudem Dei & tuam, diebus singulis quoad vixero volo dicere decies Pater noster, & decies Ave Maria. Mira res! Vix verba finierat, oculum sanum aperit, & abiit protinus dolor omnis. Hæc ipse Fr. Ioannes mihi sæpe multisque Fratribus enarravit, & perseverat in voto suo & in magna devotione ad servum Dei Antonium.

[36] Hoc insuper, quod vidi, miraculum litteris mandare curavi. Quidam namque Fr. Marianus de Firmo Ord. Predicatorum, [sanatur diuturnis febribus afflictus,] in Conventu S. Luciae de Fabriano ejusdem Ordinis, per duos menses & ultra gravissime ægrotavit, nunc tertiana, nunc quartana, nunc continua febre laborans: de cujus vita sæpius exstitit dubitatum: de quo etiam erat communis opinio, aut quod nullo modo mortem ex tali infirmitate evaderet, aut certe longa esset & molestissima ægritudo. Sæpe etiam medici hæc verba fuerunt, quæ & ego sæpius ab ejus ore audivi: Fortis est, inquit, ignis qui aqua non

extinguitur. Mirabatur enim medicus, quomodo nullis medicamentis febrem illam posset extinguere, aut saltem reddere mitiorem. Demum ipse medicus de infirmi salute desperabat: multis vero de ipso Fr. Mariano interrogantibus, Diffido, aiebat, jam de salute Fr. Mariani, quem nulla arte, nulla quamvis magna diligentia potui a vehementia atque ardore febrium sublevare.

[37] [post votum auctoris suo hospiti compatiens] Ego igitur Fr. Leonardus, superius nominatus, qui tunc, licet indigne, præeram dicto Conventui Fabrianensi, Fratri compatiens simul & suo Conventui Firmano, unde pestem fugiens ad nos venerat, votum vovi Deo & S. Antonio, præfato die XVII mensis Augusti, de anno Domini MCCCCLXVII, pro salute ipsius Fr. Mariani, multum eum sancto viro commendans, promittens ita efficere, quod vita dicti S. Antonii composita per D. Franciscum Castilionensem Presbyterum, una cum quibusdam miraculis ejusdem Antonii, præcipue hoc quod ad præsens narro, poneretur in bibliotheca dicti conventus Fabrianensis: votumque hoc apud me tacitus retinui per dies octo, infra quos sancti auxilium præstolabar. Mira res! Die sequenti post emissum votum, cum tertianæ febris tormentum ex more Frater mærens exspectaret, sensit protinus Sancti virtutem: nam febris exspectata non venit, & ex tunc ulterius nulla febre vexatus, ita demum per Dei gratiam & Antonii merita bene convaluit, [indeque ad scribendum inductis,] quod in brevi ad suum Conventum Firmanum sanus & incolumis cum gaudio remeavit; quamvis transactæ ægritudinis aliquantulam debilitatem & lassitudinem per dies aliquot retineret: & sic qui pene mortuus putabatur, tandem vivus & sanus suis est Fratribus restitutus. Hoc miraculum me compulit ad scribendum aliquid de virtutibus & signis S. Antonii, ut & his qui devotionem & fidem in S. Antonio habent, & voto meo, in quo tam repente fueram exauditus, taliter satisfacerem.

[38] Fr. Hieronymus Francisci Bianciardi de Florentia ordinis Predicatorum, juvenis devotus & bonus, [alius Frater laborans ex dentibus,] cœpit die XXVI mensis Decembris anno Dominicæ Incarnationis MCCCCLXIX gravi dentium dolore vexari: adeoque cruciatus excrevit, ut putaret se in brevi cerebrum & memoriam perditurum. Consulit medicos, tentat medicamina, multa adhibet quæ credit profutura remedia: sed nihil prosunt humana consilia. Denique die sequenti, videlicet XXVII dicti mensis, ego sæpe jam nominatus Fr. Leonardus, prefatum Fr. Hieronymum reperi, in hospitio Conventus S. Marci ad ignem se calefacientem, & novam pro tanti doloris remedio medicinam præparantem, ne quid inexpertum moriturus forte relinquat. Hic mihi de ejus valetudine sciscitanti, & ad patientiam exhortanti, cum maxima anxietate respondit: Si hac nocte dolor iste dentium tam grandis adhuc perdurat, credo equidem quod præ nimia afflictione & tormento in amentiam vertar: non enim possum somnum capere, & vigilare in tanta passione non valeo.

[39] Tum ego cœpi consolari mœrentem, & hortari ut se S. Antonio Archiepiscopo Florentino devote commendaret. Annuit se illud facturum, [ejusdem suasu Sanctum invocat & sanatur.] sed prius tentat medicamina sua: quæ cum nequaquam prodesse conspexit, circa horam ferme quartam noctis, omni jam humano auxilio destitutus, sancto Dei Antonio se devotissime commendavit, vovens & promittens dicere certas orationes ad ejus gloriam & honorem. Mira res! Vix votum emiserat, & sensit protinus Sancti virtutem, continuoque dolor omnis atque pœna cessavit. Mane igitur sequenti, scilicet die XXVIII dicti mensis, in die videlicet SS. Innocentum, præfatus Fr. Hieronymus lætus & gaudens miraculum refert in sacristia dicti Conventus S. Marci, coram R. P. Fr. Sante de Schiattensibus, tum Priore Conventus, nec non Fr. Bernardo Aldobrandini, & Fr. Sebastiano de Adimaribus,

**& multis aliis Fratibus, meque omnium minimo Fr. Leonardo de Ser-Uberto superius nominato, præsente & audiente dictum Fr. Hieronymum, gratias Deo & beato viro Antonio de tam subita liberatione referentem: omnes vero magnificaverunt Deum & sanctum suum Præsulem Antonium.**